



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MDLX. ad annum MDCXXIII.

Parisiis, 1644

Indictio Fvtvri Concilii Septimi Provincialis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15522

770 GREGORIVS P. XIII. C. MEDIOLAN. VI. RODVLFHVS II.
I M P.

INDICTIO FVTVRI CONCILII
SEPTIMI PROVINCIALIS.

ANNO
CHRISTI
1582.

Carolus sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis tituli sanctæ Praxedis, sanctæ ecclesiæ Mediolanensis archiepiscopus, &c.

OMNIBVS & singulis reuerendissimis dominis episcopis Dertonensi, Aquensi, Cremonensi, Bergomensi, Brixiensi, Astensi, Alexandrino, Nouariensi, Vercellensi, Albensti, Intimiliensi, Casalensi, Laudensi, Sauonensi, Vigleuanensi, Placentino, Albingaunensi, aliisque vniuersis & singulis, qui Synodo prouinciali Mediolanensi quacumque ratione interesse debent, omnibusque item capitulis, & ecclesiarum cathedralium procuratoribus, hoc publico decreto indicimus, significamus, denuntiamus, & intimamus proximam sequentem, Deo omnipotente auctore, & ad eius laudem, hac eadem in vrbe, hoc ipso loco, anno Domini MDLXXXV. die vigesimonono mensis Aprilis, qui dies erit feria quinta dominicæ tertiae post pascha resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, inchoandam & celebrandam esse. Quamobrem eos omnes & singulos reuerendissimos dominos episcopos moneamus, procuratores vero ecclesiarum cathedralium iuitamus, vt eo die ad Synodum prouincialem septimam iuuante Deo Mediolani celebrandam constituto, hic omnino intersint, nisi diem celebrationis ipsius Synodi aliqua ex causa a nobis prorogatum fuisse nostris ad eos datis litteris intellexerint. Quod si ipsorum reuerendissimorum episcoporum nostrorum aliquis legitimo tunc detentus erit impedimento, nuntium procuratoremve ad se excusandum, atque ad id impedimentum probandum ad nos mittat: cui etiam facultas ab ipso detur, ea omnia & singula nomine suo & ecclesiæ suæ recipiendi, quæ diuina gratia auxiliante in ipsa Synodo a nobis de consilio & a sensu reuerendissimorum coepiscoporum nostrorum constituentur decernentur.